



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XLVI. Quanti esset regente Ignatio, violatio communis disciplinæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

tentus, solutus tandem est, colloque detracta bestia. Is vero multo post ex S. Dominici Ordine, ac demum Episcopus Foroliuensis, narrabat sæpius iucundè id factam, Ignatium laudans qui multa ætati, culpæque tam congrua sic illum penitus imprecandi morem à se abstulisset, ut nunquam postea in buccam veniret. Accedebat æqualis erga omnes vigor, nec erat qui eius peculiaris beneuolentiæ securus, quicquam sibi vel minimum licere crederet aduersus communem disciplinam, aut fore impunè errorem tametsi perleuem. Caros quidem in paucis habuit Martinum Olaium, Petrum Ribadenciram, Ludovicum Gonzales; quod tamen Episcopus è Societate duos, in Æthiopiam destinatos, dum extra urbem deducerent, incautè illent vterius, quam horæ breuitas ferebat, ut ante noctem domi se sisterent: præter ieiunium quod illis imperauit, Ludovicum excepit tam acri obiurgatione, ut etiam diceret, quid obstet nescio quominus tam procul te amittam, ut me nunquam præterea videas, quo prorsus nihil ei poterat minari acerbius à quo, patre carius amabatur: & hoc tamen ipsi ex parte infixit, ipsa enim hora quæ tunc erat iam noctis altera, recipere se se in Collegium iussit, ex quo domum ab eo non est reuocatus, nisi diebus aliquot exactis. Fuit quoque Ignatio mirificè carus Iacobus Equia quo pridem confessario utebatur, & quem Petrus Faber ob sanctimoniam præstantiam, Patrem sanctum Iacobum semper nominabat; imò Ignatius, tantis nobis, aiebat, spatis Iacobus in cælo eminebit, ut ægrè illum simus agniti: hic tamen ab eo vetitus de animi rebus, quas ipsi credebat, quicquam aliis efferre; nec silentij, nec linguæ sat potens, erumpebat identidem, exclamans, sanctum esse Ignatium, & sancto maiorem, aliaque, ultra modum communem tam grandia, ut agi extra se simplicitate magis quam admiratione videretur: nec de fuit qui offenderetur hæc audiens; quod ut primum cognouit Ignatius, alium sibi mox à confessionibus delegit, cum acerbissimo boni senis dolore: tum se ipse flagellis per triduum, tamdiu sub vesperum caderet, dum tres quot diebus recitarentur psalmi, intermonente singulis aliquo, meminisset deinceps esse in verbis consideratior, nec offensionis præberet ansam infirmioribus, qui eam facillè, etiã non datã arriperet.

Iam ipsis ex pœnis, ut intelligatur gubernante Ignatio, quam caro staret disciplinæ religiose violatio, earum aliquas memorabo, ad aliorum institutionem. Laicos adiutores duos notauit aliquando nouis rebus narrandis otium fallere, accersitos iussit acerrum fortuitorum lapidum in domus area iacentem, in supremam ædium transferre partem, quasi ad præsens opus tunc necessarium, & quoties illos eundem ludum ludere deprehendit, toties eosdem lapides sursum deorsum transferre imperauit, dum tandem perciperent, non esse illam necessitatem operis, sed desidiæ castigationem, sibi que quibus occuparentur utiliter, ipsimet requirerent. Alij duo inter ministeria culinæ immodestè iocando, aquam mutuo in ora iactauerant, indignitatem ioci, longa suimet verberatione imprimis eluerunt, damnati sunt ad sumendum aliquot diebus in stabulo cibum, ad iactan-

Nn 3 dam

XLVI.

*Quanti esset  
regente Ignatij,  
violatio  
communis  
disciplina.*

dam iniucem, inspectantibus ceteris, uti fecerant aquam, sed fordidam; ad audiendam qua excepti sunt publicè acerbissimam obiurgationem, iis denique si vellent, abire permillum. Nam si post decem inquit, aut duodecim annos in Societate iam positos, tam indecora nondum posuerunt; quis neget illos de religioso, præter exteriorem cultum nihil tenere. Mitius habuit Laurentium Tristanum structorem lapidarium, egregium sui domitorem, precationi addictissimum, adeoque silentij tenacem, ut de illo Ignatius diceret, plures ab eo poni lapides quàm verba: huic interiorem domus porticum sternenti, sinu excidit pomum, quod ad sitim mulcendam datum seruauerat, id animaduersum ab Ignatio præsentem suspicatus, erubuit scilicet, seque aliò obuertens, pomum à tergo quasi id minimè cerneret omisit: at sanctus baculo; quo semper dum vixit crus ægrum sustinuit; tacens, & velut aliud cogitans, in pomo ludebat, reuoluebátque illi ob oculos, quos frater quoties præ pudore auertit, roties vir sanctus, pomum illi baculo in conspectum reuoluit, dum hac eius sat longa verecundia contentus abscessit, ne verbo quidem testatus rem displicuisse. Iunioris magistri qui Venetiis docebat, inconsulta verba, longè diuersa appendens trutina, docuit pariter lanci prius fuisse quàm linguæ committenda; quod enim iis apud aliquem imprudentius offendisset, peregrinatum missus est pedes, & mendicans solido trimestri. Sed fratrem valetudinarij curatorem, cæteroqui bonum, & erga ægrotos, caritate, ac patientia insignem, mandauit quantocyus dimitti; quod præterquam ferret exquisitissimæ honestatis, & verecundæ ratio iocatus esset liberius: abeundumque illi erat, nisi patres quotquot domi tunc erant, intercessores accessissent, eiusque integritatem morum, puritatemque præcipuam vno consensu, ac testimonio confirmassent. Amandatus est tamen extra Italiam, habitu sæculari, ultra leucas trecentas, pedes, nullo nisi corrogandæ stipis viatico. Dimissionem similiter comminatus est Ioanni Baptista Borellio, quo tamen vsus diu fuerat vitæ priuatæ administro, quod exseriniolo viri sancti piacularem globulum furtim sublegisset paulo venustiore, substituto in eius locum minus eleganti, quem ipse à sancto habuerat: fratris causam adiuuit, quod is tale tunc primum peccasset, & vltorem fallus, acerrima correptione reprehensione lacrymas dedisset. Sed non potuit ille, olim mihi narratus Soldouilleus precibus vllis aut lacrymaseiectionem ab se defendere, qua propter spiritus peregrinitatem damnatus fuerat, quanquam autem deinde post diuturnum admissi dolorem, & minimè dubia, emendati ingenij argumenta Societatem iterum impetrarit; verum haud prius domi exceptus est, quam totos quinque menses in abiectissimis muneribus nosocomio operam dedisset. Hoc item moris Ignatio fuit, ut domo quandoque ad tempus expelleret, vel eos domi pro hospitibus teneret, quorum adhuc esset emendatio obscura, & dignus fuerat, ea pœna lapsus: ita Cornelium Visshauennum quo die Romam è Belgio venerat, recepto viatorio scipione, misit per urbem mendicatum, quoad tantum pecuniæ collegisset, quanto erat opus  
ad

ad exemptionem quandam, quam se Romana in curia obtenturum, in consideratè sponderat. Sacerdotem quoque alium Belgam ad se ex Gallia idcirco transfusum, ut sua de regni cuiusdam exitio visa explicaret, quæ sibi persuaserat diuinitus obiecta, haud alio domum quam extranei nomine ritique admisit, donec somnia illa sex doctissimis patribus inspicenda commisisset, explorandumque num esset paratus illorum iudicio tam ea damnare, quam pro bonis habere: ac foeliciter quidem vir bonus sibi consuluit, erat enim de cætero pius, & satis cordatus; sensitque cum illis sibi esse illudum falsa specie vaticiniorum, & illa pro nugis habuit; haud tamen impune suam illam tulit pertinaciam priorem, quâ sibi superioribus in Gallia se durum præbuerat. In nosocomio Romæ ægrotis ministravit, nec inde totis sex mensibus pedem unquam tulit, tum domi cum adiutoribus laicis quotidiana officia obiuit aliquamdiu, ubique vero ita se omnibus probavit, ut Collegij Rector demum in Galliam redierit. Foelicitate haud multum absimili fugam infelicem clausit Antonius Monizius nobilis Lusitanus: Hunc post magnam quam principio mouebat præclaræ virtutis expectationem, cepit tædium quoddam eius vitæ, quam sibi eatenus experiebatur pericundam: accessit mox tædio, animi ab ea, æqualis alienatio, & quod consequens est negligentia disciplinæ, & conditionis alterius cupido, in qua illi aut Deus, aut mundus saperet; ac tandem deliberata mens è statione discedendi. Pungebatur quidem holocausti rapina, quod de se Deo obtulerat, & sacrilegij exterrebatur facinore: tandiu tamen perrexit secum perplexari, ut conscientiam mordentem ad suum arbitrium finerit: decernens videlicet, vitæ genus sectari, esto probum, & sanctum, sed iuris sui, nullique subiectum. Illud enim de suo, ne seipsum quidem retinere, nec esse vel gressus promouendi Dominum vel mouendi, tabes ei quædam videbatur, & lenta mors. Optauit igitur peregrini vitam perpetuo ducere, à qua nolens vi vlla verbisque dimoueri, ex Conimbrienti Collegio aufugit, quò ad Petrum Fabrum, missus Valentia fuerat, si quæ posset curandus. Prima eius peregrinatio ad S. Iacobi in Galloeciam fuit, quam pedes, & solas exegit; si tamen solus, cui iam comes, at fera, obiurgatrix admissi pœnitudo. Sequutus est nihilominus suum iter Monserratum versus, ubi iam impar conscientiæ flagellanti, tristitiæ, ac perpeffionibus itineris frigidissimi, egentissimique; sed miseratione, potissimum Beatissimæ Virginis adiutus, Romæ suos errores sistere decreuit, proiectusque ad pedes Ignatij bonum reposcere, quod nisi perditum nescisset suo pretio aestimare. Sic desertione parentis, pannosa inopia, & ærumnis, prodigo similis, eius quoque in voces erumpens *surgam*, inquit, & *ibo ad patrem meum*, Romamque iter arripuit. Quod piè animo conceptum, morbus altius defixit, quo Auenione in nosocomio bimestri conflictatus, tantum non prius viuendi, quam peregrinandi finem fecit. Verum utcumque restitutus, corpus ægrè trahens inualidum, Romam tandem peruenit: illic non ausus in conspectum Ignatij se dare, nisi petitione veniæ mitigatum, ex

Lusitanorum

1111X

Lusitanorum pauperum hospitali domo quo se receperat, dedit ad eum literas doloris, & lacrymarum plenas, quibus ad misericordiam inflexus, educendum curauit Ignatius in alias aedes, ut illic pergeret, infamis fugae sacrilegium expiare, priusquam coram compareret. At is interea, morae illius piaculo minime contentus, nudus zona tenus in publicum erupit, crude in seipsum flagellis saeuens, & luce palam Deo ac Societati ultro neum culpae supplicium dependens, de quo ad iuuenis affinem, principem feminam scripsit Ignatius, stationum sacrarum quas obibat vias, multo sanguine notasse. Eratque illam iteraturus sibi poenam, nisi ab eodem fuisset inhibitus; à quo breui postea vocatus, ea teneritate beneuolentiae exceptus est, ut qui se pudore, & lacrymis confusus ad eius pedes iactauerat, praeter interiori gaudio temperare à flectuo non posset, visus sibi quodammodo renasci, & nouam denuo vitam inchoare. Certè quidem hinc coepit tanta religiosi laboris, & sanctimoniae strenuitate agere, ut praesagire animo videretur breue sibi spatium ad metam superesse: nam aliquanto post lenta febris affectus, craciato longo contabuit. Ad extremum aduerto subiectorum lapsus, in iis qui praerant, quandoque Ignatium puniuisse, si vel eos caute non anteuertent, vel compertos, ipsi non punirent. Duos adiutores cum forte obuios habuisset, minus composito, & modesto incessu, viuaci admodum reprehensione iussit ministri incogitantiam perstringi, in duobus iungendis, quorum neuter posset, incitamento modestiae, vel exemplo comiti suo esse. Quod idem praestitit aduersus Sebastianum Romeum Collegij Rectorem, cum templa septem indulgentiae causa adituros, passus esset aliquid panis, & vini secum in prandium deferre; nec probauit excusationem moris ab eo minime inducti; culpam enim fuisse respondit, quod non sustulisset iam inductum; cum peius erretur quoties in viam longiorem, error fortuitus transire sinitur.

**XLVII**  
*S. Ignatius  
 alienus ab  
 statuendis  
 legibus ob  
 priuatos er-  
 rores, & ab  
 rebus nouis  
 admittendis.*

Obseruo nihilominus, etsi promptam manum iniiceret, primis laxanda regulae occasionibus succidendis, sed ab lege vniuersis condenda, ad priuati vnus emendandam culpam fuisse alienissimum; nec vnus ebrii scelere vites omnes ferro, & signi, sed aquae liberalis correctione condemnasse. Tiro ille quem dixi, corroganda per urbem stipe pudefactum, desertionem cogitasse, haudquaquam illum ad legem impulit, qua vetaret omnes in perpetuum nouitios ab eo piae humilitatis munere amoueri; sed qua ij tantum ad hoc mitterentur, quos virtutis illorum securus mittendos iudicasset. Nec enim decere virtuti multorum campum claudi, quod vnus aliquis in eo cespitarit. Nec esse magnanimi pectoris, ut sibi quidam blandiuntur, sed debilis potius, & ignaui, idcirco benignam virtutis materiam subtrahere omnibus, quod ea non nemo maligne vsus sit; id enim decretum nisi verbis tribus scribendis dictandisve non constat; peccantis autem quam velle debent iusta correctio, obnoxia est iis quae ipsi deuitant obstaculis, querimoniis, & molestiis, quae magni demum est pectoris superare, & coquere; Inde legum illa vix tolerabilis multitudo, paucitate semper apud sapientes deterior